Quelle: https://manuscripta.at/?ID=232
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Beati quorum remisse sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata Beatus uir cui non imputauit dominus peccatum nec est in spiritu eius dolus Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea dum clamarem tota die Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua Conuersus sum in erumpna mea dum configitur spina Delictum meum cognitum tibi feci et iustitiam meam non abscondi Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino et tu remisisti impietatem peccati mei Pro hac orabit ad omnis sanctus in tempore opportuno Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabit Tu es refugium meum a tribulatione que circumdedit me exultatio mea erue me a circumdantibus me Intellectum tibi dabo et instruam te in uia hac qua gradieris firmabo super te oculos meos Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus In camo et freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te Multa flagella peccatoris speranti autem in domino misericordia circumdabit Letamini in domino et exultate iusti et gloriamini omnes recti corde Gloria patri Iustitia libera me domine

Exultate iusti in domino rectos decet Psalmus

Collaudatio Confitemini domino in cithara in psalterio decem cordarum psallite illi Cantate ei canticum nouum bene psallite ei in uociferatione Quia rectum est uerbum domini et omnia opera eius in fide Diligit misericordiam et iudicium misericordia domini plena est terra Verbo domini celi firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum Congregans sicut in utre aquas maris ponens in thesauris abyssos Timeat dominum terra ab eo omnis inhabitator orbis Quoniam ipse dixit et facta sunt ipse mandauit et creata sunt O